

## FERIA III POST DOMINICAM PRIMAM.

## DE USURARIIS.

*Domus mea domus orationis vocabitur,  
vos autem fecistis illam speluncam latronum* (Matth. 21).

Christus Dominus increpans mercatores illos, qui in Templo usuraria, varisque modis illicita exercebant commercia, de hoc specialiter conqueritur, quod Templum Deo sacrum in dominum negotiationis, et in speluncam latronum converterint: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Quod de hoc Templo dixit Christus, de qualibet republica, et de qualibet civitate, in qua usuræ exercentur, vero dici potest; qualibet enim est spelunca latronum, quia omnes usurarii sunt latrones, qui domos subvertunt, familiias ad inopiam redigunt, respublicas depopulantur; et ut ait S. Chrysostomus, *usurarii in mediis urbibus latrociniantur.* Christus eos, qui in ovile suum non intrant per ostium latrones vocat; *qui non intrat per ostium in ovile oviū, ille fur est et latro* (Ioan. 10, 2). Quod et de usurariis nostris dici potest; ipsi etenim sunt latrones pessimi intra ovile Christi existentes è viventes; qui nunquam per ostium regni coelestis intrabunt, nisi usurarios suos contractus conscidant, nisi fraudibus parta lucra restituant, suisque usuris, vel potius latrociniis valedicant. Usurarios, ut latrones populis infestos, in hac concione proponam. *Ave.*

Verecundia, contemptus, et timor individui furum et latronum comites esse solent. *Verecundantur latrones cum sua perpetrant furtum; et ideo tenebras et latebras furandi causa communiter inquirunt.* *Contenti* nuntur etiam ab iis, quibus ilorum nota sunt latrocinia; turpissimum enim latronis est nomen, nec quis apud homines magis vilificari, et denigrari po-

test, quam turpi furis nomine et titulo. *Timent tandem latrones, ne in furto deprehendantur, et in sceleris sui ponam ad tritemes, vel ad patibulum condemnentur.* Latrones quidem sunt, qui usuras exerceant; at hi sunt latrones alterius quodammodo rationis et sortis ab aliis latronibus. Usurarii enim sunt latrones publici, honorati et intrepidi. Sunt 1. *Latrones publici*, qui furantur sine verecundia; 2. *Latrones honorati*, qui furantur sine honoris sui jactura; 3. *Latrones intrepidi*, qui furantur absque ulla timoris causa. Usurarii sunt latrones publici, latrones honorati, et latrones intrepidi; en tres hujus concionis partes.

## I PARS.

*Usurarii sunt latrones publici.*

Furtum, quod septimo Decalogi praecepto prohibetur, dividi potest in occultum, violentum et fraudulentum. *Furtum occultum*, cui appropriari consuevit ipsum genericum furti nomen, et quod simpliciter, et absque ullo addito, *furtum vocari* solet, est occulta rei aliena acceptio, domino rationabiliter invito. *Furtum violentum*, seu rapina est manifesta et violenta rei aliena acceptio, domino rationabiliter invito. *Furtum fraudulentum*, est ablacio rei alienae per fraudes et dolos: et sub isto genere reducitur usura, quæ per fraudes et dolos aliena bona diripit. Usurarii autem sunt latrones occulti simul et publici; *occulti* quidem; quia licet vere aliena auferant, ita hoc faciunt, ut a multis fures non censeantur; *publici* vero, quia palam et absque ulla verecundia bona illorum rapiunt, quibus pecuniam mutuo dederunt: *Usurarius*, inquit S. Chrysostomus, *fur et latro est, et longe illo deterior*; *ille namque tum latendo, tum nocte grassando, multum facinus extenuat, utpote qui saltē timeat, et vereatur pecare; hi autem perficata fronte, nudo capite per medium forum rapit.* Alii fures, ut aliena furentur bona, latebras et

tenebras amant; et ideo non dum dies est, sed in alta noctis caligine, et cunctis dormientibus, discurrere solent, circum-eunt, ut querant quod rapiant. Usurarii vero sunt latrones iis longe audacieores, et impudentiores; siquidem dum dies est, etiam in medio foro, bona mutuatariorum usurarii suis contractibus palam auferunt. Imo (quod detorius est) debitores a domibus illorum palam ejiciunt, eorum arcas autoritate judecum reserant, eos propria bona exponere cogunt, illosque facultatibus suis cedere compellunt; *Usurarius*, ut subdit Chrysostomus, *hos qui patiuntur injuriam per portam expellit; omnia cum fiducia aperit; ipsos sua per se cogit exponere, tantus est excessus violentie.* Ecce latrones publicos ab omni prorsus verecundia alienos, ac ita audaces, et impudentes, ut quasi civitatum pyratae esse videantur. In Gallia, nostris temporibus errores nonnullos vidimus, qui Boemi dicebantur; qui fures erant publici, omnibus noti, impudentes, omnis verecundiae expertes; et qui cum non aliunde haberent quo vescerentur quam de suis latrocinis, toto fere anni tempore ad furandum cogebantur; unde nulla dies erat, quantumvis sancta et Deo sacra, in qua aliquod furtum non facerent, aut saltu facere non meditarentur. Publicis iis latronibus similes quodammodo sunt usurarii: quia sunt latrones publici, qui omni tempore, etiam in diebus festis proximi bona furantur; *fur et raptor*, ait S. Bernardinus, *expoliant aliquo determinato tempore; sed usurarius homines spoliat in quolibet die festo, scilicet Pascha, Paraseeve, et tempore Missarum; et sic de aliis temporibus.* Publicis iis latronibus non solum similes, verum et pejores sunt usurarii; quia Boemi non continue furantur, multaque sunt momenta, et hora multe in quibus a furtis abstinent; nulla vero in totius anni circulo reperire est hora, nullum momentum, in quo usurarius aliena non rapiat. Cum enim usurarius suam mutuo dedit pecuniam, dicit, quod ipsa laboreat: et communiter dicitur, quod usurarii pecunia continue laborat, etiam dum ipse dormit: quia pecunia mutuo data, aliam pecuniam mutuantur usurario continue attrahit. Congruentius loqueretur qui diceret,

usurarium esse furem, qui singulis momentis mutuarii pecuniam auferit: quia singulis momentis mutuarii aliquod pro pecunia sibi mutuata lucrum ei dare cogitur. Ecce latrones publicos, ipsis etiam Boemis deteriores: quia singulis momentis aliena auferunt et furantur. Usurarii sunt etiam latrones publici, quia auctoritate publica, et per actus publicos bona mutuatariorum auferunt. Cum enim pecuniam suam mutuo dant, contractibus mutui, cambii, emptionis, vel venditionis suas palliant usuras; eosque contractus ita componunt, ut intra quatuor menses, vel unum annum a mutuariis decem vel duodecim in centum petant; quæ si dare renuant, lite cadunt impensis auctoritate judicum muletantur: unde, ve-llint nolint, ad propriis cedendum compelluntur. O industrios et malignos latrones, qui non clam, sed actibus publicis, et auctoritate judicium, aliena bona rapiunt: in quo alios furibus sunt pejores: *usurarius cum majori malitia rem alienam usurpat quam fur, vel raptor, eo quod compellat eum qui mutuum recipit, ad consentendum in talem rapinam* (S. Bernardin.). Usurarii se etiam latrones publicos exhibent in commerciis usurarii, que cum hominibus habent: in quibus, sub praetextu mutui, res suas palam pluris æquo vendere solent. Hi prædones tempus expectant, quo res carius venduntur, et in quo pauperes ob necessitatem qua premuntur, eas carius emere solent; dicuntque apud semetipos: *quando transibit mensis, et venundabimus merces.... ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calceamentis, et quisquiliis frumenti vendamus?* (Amos 8, 5-6). Infesti illi fures tempus expectant, quo artificibus, agricolis, et aliis triticum, aliaque ad vieta necessaria desint: quo adveniente, horrea sua aperiunt, quisquiliis frumenti auro appendunt, et quidquid habent tritici, et aliorum, quæ ad sublevandam pauperum inopiam necessaria sunt, pluris æquo vendunt, quia mutuo illa dant. Et hoc non sit clam; sed toti civitati, omnibusque finitimis locis notum est, quod hic usurarius horreorum suorum januas aperuerit; omnibus civibus, aliisque circumjectorum locorum incolis apertum est, quod hic usurarius non det mutuo fru-

mentum, quin carius quam par est, illud vendat; id est quin furetur. Quid enim aliud est, vendere merces suas pauperibus pretio nimio et immoderato, quam bona eorum furari, et ipsis furtive auferre, quod supra justum pretium accipitur. Usurarii ergo latrones sunt publici, qui latrocinia sua publice exercent, dum sub prætextu et simulatione legitimæ venditionis, palam merces carius æquo vendunt, quia eas mutuo dant. Dicunt nonnulli usurarii; cum pecunias, triticum, vinum, vel alia mutuo damus, exigimus solum a mutuariis, ut supra sortem aliquantulum tritici, vel vini nobis dent; in quo nulla mali species apparere videtur; quin imo hoc eis maxime gratum est. Crediderim, quod mutuarii hoc sibi gratum esse dicant, quia suis necessitatibus aliter subvenire nequeunt; attamen sive id mutuariis placeat, sive displiceat, qui eis mutuo dant, si absque legitimo titulo lucri cessantis, vel damni emergentis, aliquid supra sortem accipient, sive triticum illud sit, sive oleum, sive aliquid aliud pretio temporali aestimabile, usurarii sunt ei latrones: *si mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus quam dedisti exopeates accipere, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quolibet aliud, fenerator es* (August. in Psal. 36): adde, et quod latro es. O exitiosos latrones! O fures publicos! quos quidem quilibet respublica, et quævis civitas expellere deberet, ut Boemos. Minimus latrunculus contemnitur, plectit et ponit criminis debitum mulctatur; quanto magis contemnendi, plectendi, et muletandi usurarii, cum sint latrones publici, qui usurariis contractibus, et commerciis iniquis aliena palam rapiunt? Hi certe plecti deberent latrones publici. Verum tantum abest, quod plectantur, quin contra hi ab omnibus honorantur; non enim solum sunt latrones publici; *sed etiam latrones honorati.*

## II PARS.

*Usurarii sunt latrones honorati.*

Olim ita contemnebantur usurarii, ut nec cum iis cibum sumere licoret; *Scripti vobis*, inquit D. Paulus, *non commisceri: si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis sercieiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere*. Olim etiam ita despiciebantur usurarii, ut omnia eorum bona diaboli bona esse dicerent, nec quisquam cum iis versari et convivere auderet. « Si quis domum usurarii aspiciebat, inquit D. Bernardinus, aut vineam, vel agrum, aliis circumstantibus execrative demonstrando dicebat: Ecce domum, vel agrum diaboli et sic de ceteris ejus bonis. Nemo sumpsisset de domo illius ignem; nemo in Ecclesia ab illo sumpsisset, nec ei dedisset osculum pacis: puer quoque ad ejus occursum expavescerant, et invicem illum digito demonstrabant. At nunc, pro dolor, et amentia deploranda! Tales ab omnibus honorantur, omnes eis assurgunt, ponuntur tunc in officiis, aestimantur in conciliis, comitativa magna sociantur in plateis, copulantur in conjugio cum nobili parentela, et, quod execrabilius est, non restituentes, vel quandoque restituere simulantes, in cæmeteriori, in Ecclesiis etiam consecratis cum solemnieribus exequiis quam cæteri tumulantur: quia jam quasi ubique scelus eorum assumpt faciem honestatis et pietatis ».

Usurarii latrones sunt qui aliorum bonis insidias parant, eaque artificiose deprædantur: *qui usuram fecit, insidiatur quodammodo, ut ex alterius necessitate prædetur* (Lact. de div. insti. 6, 18). Hic autem latrones et prædones ita faciem honestatis et pietatis assumunt, ut omnium honorem et reverentiam sibi concilient, et ab iis etiam quorum bona auferunt, nonnunquam honorentur. Unde D. Cyprianus ait, quod miseris, qui ab usurariis spoliantur, flunt religiosa de-

*licta:* quia scilicet, usurarios religiose venerantur. Homines miseri, et inopes, quorum totam substantiam comedunt, et sanguinem sugunt usurarii, de iis plerumque non conqueruntur; quin contra furtæ eorum tamquam virtutes aestimant, et eorum delicta, que enorma sunt, tamquam actiones religiosas et piæ inspicere solent. Eja, de usurariis inquieti aliqui, quam bonus et misericors erga me fuit talis homo! fuit certe mihi adjutor in opportunitatibus: quia in momento quo a creditoribus opprimebar, suam mihi libenter crumenam aperuit, mihique magnam pecuniam summam mutavit, ut a tali oppressione liberarer. *Eja,* autem alii, de tali quidem homine dicere possum: *pater meus es tu;* ille enim, quotiescumque opus fuit, pecunias mihi dedit mutuo, quibus lucratus sum, quo et me et familiam meam nutritrem. *Eja,* dicunt alii: ecce patrem pauperum, et totius populi protectorem: opificibus enim, rusticis, et quibuslibet cuiusvis status et conditionis personis libenter pecuniam mutuat. Verum est, quod fidejussores petat, quodque lucrum aliquod ex re mutuo data percipere intendat, quod æquissimum sane videtur: tanta tamen ejus est charitas, ut semper, sub iis conditionibus, sit ad mutuandum paratus. Ecce quomodo de usurariis loqui solet cæcum vulgus: quod usuras, quæ vera sunt latrocinia, tamquam quid justè debitum approbat; et usurarios, qui fures sunt et latrones, tamquam homines pios, misericordes, et charitate christiana fulgentes inspici: ideo eos, ut homines honore dignos, colit et reveretur. Et sic hi latrones, qui a civitatibus expelli, carceribus includi, vel ad triremes' damnari deberent, ab iis etiam quorum bona auferunt, reverenter honorantur. Sunt nonnulli latrones viles, abjecti et inhonorati, qui in silvis et in itineribus turpiter populum deprædantur; qui ab uno pallium auferunt, ab alio crumenam rapiunt, aliaque turpia latrocinia exercent; hi similes sunt duobus illis qui cum Christo crucifixi fuere; quia ab Evangelistis vocantur, *duo nequam*, seu duo latrones viles et infames. Usurarii autem non sunt ex vilibus et abjectis illis latronibus; imo sunt latrones honorati et curiales, qui ut nefactores ab hominibus honorantur: *usura est furtum cu-*

*riae.* Usurarii tanta cum industria et arte, sua faciunt latrocinia, ut ab iis quorum bona rapiunt, non despiciantur, sed honorentur: et ut loquitur S. Cyprianus, *usurarii sunt latrones honorarii, qui tibi peculium diripiunt, sanguinem exsugunt, tandem perdunt pauperrimum; attamen hoc agunt honorabiliter, quasi sub specie gratificandi.* Cum ad usurarium vadit quidam artifex, vel rusticus, ut ab illo aliquantulum pecuniam sibi mutuo dari petat, respondet ille latro: charissime, doleo super sorte tua, quia pecuniam nullæ mihi sunt, quibus necessitatibus tue occurram: velis, libenter dabo tibi triticum, vel frumentum, quod vendere poteris, ut urgenti tuae subvenias necessitatibus. Ecce hominem, qui exterius zelo charitatis succensus videtur, cum homini necessitatibus patienti triticum mutuet: revera tamen est latro honorarius, qui triticum non ex charitatis, sed ex lucri motivo mutuat; ut scilicet ratione mutui illud carius vendat. Adit usurarium alius, quem rerum omnium indiga conditio oves, boves, arva, domos, villas, et omnia sua vendere cogit; suam ei manifestat necessitatem, et auxilium ab eo supplex postulat. Cui usurarius; tibi compatiat, et ut tibi succurrat, hunc tuum agrum vel hanc tuam domum emat. Ecce hominem, qui prima fronte ex charitate agere videtur; re ipsa vero est latro, qui, charitatem christiane prætextu, agrum mille nummis valentem pro quingentis sibi comparat. Mille similes apparentis charitatis artes habent usurarii, quibus non turpiter, sed honorifice, et absque ulla famæ sue jactura, bona aliorum auferunt et furantur. Hi sane non sunt viles et abjecti fures, sed latrones honorarii, et ab hominibus honorati.

Mercatores illi quo Christus ejecit e Templo, solo avaritiae spiritu ducebantur, et unica eorum intentio erat lucrari, ad usuras dare, et aliorum bona auferre; suas tamen usuras, saque fraudulenta latrocinia ita pietatis pallio velabant, ut censerentur viri pii, et ut tales honorarentur. Dicebant hi, se animalia ad templum duxisse, ut in Dei gloriam sacrificearentur; seque mensas nummularias erexisse ad peregrinorum auxilium, ne scilicet pecuniarum defectu opus tam religiosum dimit-

terent; quæ quidem speciosa, pia, et sancta videbantur. Nec deerant qui illos viros piros, et religiosos esse aestimarent; Christus tamen illos latrones vocat: *Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum* (Marc. 11, 17). Hujusmodi mercatoribus similes sunt multi usurarii, qui multa exterius pietatis signa edunt, quique a multis honorantur ut viri pii, et tamen sunt veri latrones, qui sub pietatis specie aliena furantur, *usurarius sub pallio pietatis atque servitii aliena prædatur* (S. Bern. ubi sup.). Usurarii multi peccata sua crebre confitentur, ad sacram Synaxim sæpe accedunt; eleemosynas palam faciunt, et dum pecuniam mutuo dant, se solo pietatis et charitatis motivo ad mutuandum duci asserunt. O dolosam pietatem! o simulatam bonitatem! o hypocrism fraudulentam! quam reprobat Spiritus Sanctus dicens, non utendum fraudibus, cum agitur de panperum necessitatibus sublevandis. *Nec ages quippiam collide in ejus necessitatibus sublevandis* (Deut. 15, 10). Qua ergo fronde, qua audacia, qua impudentia dicit usurarius qui usuris impinguatur, se ex pietate ad mutuandum moveri, seque pium opus agere? hoc sane dicit, ut proximum decipiatur, ut vir probus censeatur, ac ut ab hominibus honoretur. Et revera usurarii molibus et fallacibus suis verbis, quasi incantationibus ita nos fascinant mutuariatos, illisque ut iis suadent, quod erga eos pie, liberaliter, et misericorditer se gerant, ut, licet veri latrones sint, ab iis tamen ut viri pii, benefici, et misericordies aestimentur, et honorentur. Ecce latrones in hoc mundo honoratos; *ad hec usurarii sunt latrones intrepidi.*

## III PARS.

*Usurarii sunt latrones intrepidi.*

Alexandro Magno querenti a quodam pyrata, quare devastaret mare, respondit ille: O princeps, *ego quia parva scapula mare devasto, dico pyrata; tu vero, quia classe*

*magna totum orbem devastas, diceris imperator* (Hug. Car. in Levit., c. 11). Homines pariter vocare solent latrones eos qui alterius crumenam subripunt, vel qui aliquam temiem supellecilem clam furantur: latrones vero non vocant usurarios, qui domos devastant, et familias depopulantur, cum tamen usurarii revera sint latrones, qui furantur cum audacia quadam tutâ, quæ nihil timet: *eorum audacia palam sevit, et ipsa sua audacia tutâ* (S. Cypr.). Latrunculi illi abjecti et infames qui in silvis latebras querunt, anxie vivunt, et in furtis suis deprehendi formidant; at usurarii audacter, nec non cum omni libertate et securitate furantur, ipsaque eorum audacia tutâ est, et ideo usurarios sanguisugæ similes dicit sanctus Bernardinus: *usurarius sanguisugæ comparari potest*. Haec videtur differentia inter pulicem et sanguisugam, quod pulex aliquam solum sanguinis guttulam clam sugere conetur; si tamen deprehendatur, statim occiditur, at sanguisuga non guttulam solum, verum et varias sanguinis uncias exhanrit, nec tamen ideo occiditur; quin contra in aqua paropside sedulo servatur. Sic se res habet de usurariis, respectu aliorum latronum; si enim infelix quidam latrunculus ovieulum, vel vilem aliquam furetur supellecilem, in eum statim insurgunt omnes, illumque virginis. vel diuturno carcere adjudicandum omnes claman. Nihil horum timent latrones usurarii; hi enim instar sanguisugarum, populi sanguinem ad satietatem eibunt, et eorum facultatibus saginantur, nec tamen formidant; quin contra, in medio foro, adhibitis tabellionibus et testibus, ac, si sic loqui fas est, toto spectante mundo, usuras suas exercant, pauperum sanguinem sugunt, et aliorum bona furantur cum audacia quadam, omnis prorsus timoris expertes, *ipsa sua audacia tutâ*. Latrones pavidi esse solent et meticulosi; nonnunquam fugiunt hi, nemine persequente; ac eorum quisque intrat semetipsum, instar infelici Caini, ait, *omnis qui inveniret me, occidet me*. Timent, ac merito timere debent, ne a lictoribus excipiantur, ne incarcerentur, ne ad ablata restituenda compellantur, et ad supplicia scleribus suis debita damnentur. At usurarii sunt ejusdam generis latrones, qui

aliena furantur, nec quomodocumque timent: *usurarius est latro qui rem alienam usurpat sine timore persecutionis et eam detinet sine timore repetitionis* (S. Bern. ser. 44, a. 1, c. 4). Non timent usurarii judicium secularium leges et supplicia, cum suis ita componant contractus, ut qui eos legerit, nil in eis reprehensione dignum inveniat; non etiam timent quod ad restituenda aliena cogentur, cum contractus suis usurarios tot-fraudibus involvant, ut nulla in eis usuraria labores appareat. Usurarii tandem sunt pessimum quoddam latronum genus, qui impudenter et effrenate aliorum bona deprendantur absque ullo timore; *usurarius est latro qui rem alienam usurpat sine timore persecutionis, et eam detinet sine timore repetitionis*. Tantum abest ut timeant usurarii, quin contra gloriari solent de speciali sapientia, et arte qua ad augenda sua bona, et aliena sibi concilianda usi sunt. Omnibus notum est, quod hi, ut aliorum bona fraudulenter furentur, contractus iniquos fabricare soleant, qui licet legentibus legitimi apparent, in re tamen sunt nequissimi. Verum est, quod si hi contractus in se spectentur, quisque judicabit, quod sint contractus puri mutui, absque ullo mutuantis lucro: vel quod sint contractus emptionis, venditionis, locationis, vel alii, quos quisque legitimos, et sequitati consentaneos dicet: revera sunt contractus nequam, quibus utuntur usurarii, ut aliena aferant: ideo cum in his contractibus nil exterius appareat, quo a justitia seculari arguere damnari queant, hi semper intrepidi et impavidi remanent, ac tantum abest ut timeant, quin contra gloriari, quod præ aliis sapientes, et ad augenda sua bona industrii sint. Quod præclare adnotavit S. Bernardinus Senensis, dicens: « Usurarius subtilissimos contractus, et dolos studiosissime excoigit ut ex multiplicibus vitiis foenus exerceat, et lucra adaugeat, et rapinas acquirat. Quod cum fecisse se conspicit, latenter gloriatur, se sapienter egisse; et multos alias tam in divitiis, quam in malitiis superasse; Ad quem increpative ait Prophetæ: *Quid gloriari in malitia, qui potens es in iniustitate?* (Psal. 51), id est, in usuraria pecunia nequierit possessa. Cum ergo usurarii sint latrones, qui de suis usuris et

furtis gloriantur, patet, eos esse latrones intrepidos et impavidos, qui absque ullo timore aliena rapiunt, et retinent. Si vero usurarii secularem justitiam non timeant, tremenda saltem Dei judicia formidare deberent: quia justo Dei iudicio, cum e vivis excesserint, Deus omnes creaturas adversus illos armabit. Hi enim sunt homines illi insensati, et Dei inimici, in quos cuncte insurgent et pugnabunt creature; *accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos* (Sap. 5). Cum usurarius, inquit S. Bernardinus, non solum offenderit, Deum, quemadmodum ceteri peccatores, verum etiam tempus vendiderit, quod est commune cunctis creaturis, sic eas omnes offendit. Unde quæcumque creatura sunt, ad eum persequendum animantur: et ideo omnes Beati, et omnes Angeli Paradisi in die iudicii clamabunt contra eum: *ad infernum, ad infernum, ad infernum*. Tunc quoque coeli cum luminaribus suis, suo modo clamabunt dicentes: *ad ignem, ad ignem, ad ignem*. Planetæ etiam clamabunt, dicentes: *ad inferni profundum, ad profundum, ad profundum*. Elementa etiam sœvient contra illum, dicentia: *ad tormenta æterna, ad tormenta æterna, ad tormenta æterna*. Dominus quoque in qua jacet infirmus usurarius, atque parietes et ligna contra eum vindictam claram non cessabant: unde Habacuc (2) dicitur: *Lapis de pariete clamabit, et lignum quod inter juncturas edificiorum est, respondebit, dicens: fiat, fiat*. Timete ergo, o usurarii, timete terribilem Dei justitiam, et si homines non timeatis, saltem timete Deum, qui omnem adversus vos armabit creaturam, qui severe usuras vestras puniet, et qui ad æterna supplicia vos condemnabit, ut enim ait Doctor Angelicus, *usurare vitium est detestandum, et æterna morte dignum*. O quam terribile erit usurario, qui in hoc mundo multis potitus est divitiis, cum in inferno summa egestate laborabit! O quam durum erit usurario, qui in hoc mundo multis honoribus, pluribusque deliciis gavisus est, cum ad æternam ignominiam condemnabitur! Timere ergo debent usurarii, ac simul timere debent haereses eorum, qui scienter possident bona ab iis per

usuras acquisita; tementur enim ea restituere, quia cum representent defunctum, et in eius bonis succedant, debent etiam in oneribus succedere, et si ea non restituant, simul cum eis a quibus ea receperunt, ad aeterna inferni supplicia condemnabuntur. Ad cuius rei confirmationem, formidandum exemplum adducit concionator quidam *egregius* dicens, quod vir aliquis piissimus, raptus in extasim, Deo sic volente, amplissima inferni antra viderit, ubi inter alios plurimos unum adnotavit in medio ignis sepultum, e cuius visceribus magna orta erat arbor, in cuius ramis utriusque sexus personæ pendebant. Quæsivit vir sanctus ab Angelo, ut mysterium hoc explicaret; cui Angelus: Iste in imo inferni sepultus est usurarius, et illi qui pendunt in arbore, quæ ex ejus visceribus procedit, sunt haeredes ejus, qui scienter post ejus mortem posseverunt bona, quæ ille per usuras acquisierat. Hi enim omnes simul cum illo horrenda inferni patientur supplicia. Timete ergo usurarii, timete latrones publici, et ab hominibus honorati, timete Deum in hoc mundo, ac ita eum timete, ut usuris vestris abrenuntiatis, et inique ablata restituatis. O Domine, sancto hoc timore confige carnes, et corda usurariorum, ut timentes a peccatis resipiscant, aliena restituant, ad te omnium bonorum auctorem properent, et aeterna Paradisi bona consequi mereantur. Amen.

## FERIA IV POST DOMINICAM PRIMAM.

## DE POENITENTIA NON DIFFERENDA.

*Virii Ninivite surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam; quia poenitentiam egerunt in praedicatione Jonæ (Math. 12, 41).*

Perversa quedam hominum est generatio, quæ gravia peccata perpetrare novit, et poenitentiam prompte agere non novit; peccare est eis familiare, poenitere inusitatum; singulis fere

momentis animam suam peccatis gravibus coinquant, et numquam venit hora, numquam occurrit momentum, in quo poenitentiam suscipiant. Non unicus Jonas, sed concionatores plurimi, confessarii multi, sancti Ecclesiae Patres, Doctores omnes, et ipse Deus penitentiam cito agendam eis annuntiant; et hi eam semper in futurum differunt: ergo in tremendo Dei iudicio surgent viri Ninivite; in generali hoc omnium congressu Deus eis proponet et opponet Ninivitas, qui penitentiae agendæ se accinxerunt, mox ut Jonah predicantem audierunt. Tunc Ninivitarum in agenda penitentia diligentiam cum eorum negligientia Deus conferet, et comparatione Ninivitarum hi rei judicabuntur, ac justa Dei sententia ad sempiternam inferni supplicia condemnabuntur: *Virii Ninivite surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Jonæ.* O quam imprudentes, qui inevitabile hoc Dei iudicium non timent! quam insensibles, qui terribilem hanc Dei sententiam non reformati! quam insipientes et stolidi peccatores, qui scelera sua per poenitentiam delere differunt! Eorum deesse cæcitatem, et tota hac concione, penitentiam non esse differendam suadere conabor. *Ave.*

Tanta dæmonis est astutia, ut penitentiam, quam in futurum peccatoribus differendam suadet, tamquam quid infallibiliter et certo futurum eis proponat; ita eos fascinat, ut eos de futura poenitentia certos faciat: *immittit diabolus securitatem ut inferat perditionem* (Aug. ser. 121, *de tempore*). Imaginaria hac securitate freti peccatores in peccatis suis perseverant, in iis quiescent, nec de iis per poenitentiam delendis curant. Jamvero dic mihi, peccator, quod est fundamentum, quæ basis, cui innititur talis tua securitas? Poenitentiam agam, inquis, intra sex menses, postquam a negotiis, quibus implicor, me extricavero; cum insenuero, vel cum ad mortem infirmabor. Hoc dicas, hoc credis, et hoc tamquam certo futurum supponis; verum dico, queso, unde scias, quod tune sis poenitentiam acturus? Quis te certum fecit, quod tune sis habitus tempus, gratiam, et voluntatem poenitendi? Poenitentiam agere nequit, nisi concedatur tibi poenitendi tempus, nisi Deus largiatur tibi poeni-

tendi gratiam, et nisi poenitendi voluntatem habeas. Dic ergo, habebisne tunc penitendi tempus? Hoc incertum est: dabime tunc tibi Deus penitendi gratiam? hoc incertum est; eritne tunc tibi poenitendi voluntas? hoc incertum est. Ubi ergo tua securitas? nulla ibi securitas, imo omnia dubia, omnia incerta et fluctuantia. Audi D. Augustinum dicentem, quod *nulla satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas*: audi illum, et poenitentiam non differas in futurum, in quo nil tibi securum, nil tibi certum est. Non differas poenitentiam in futurum, quia incertum est, an tunc sis habiturus 1. tempus poenitendi; 2. gratiam ponitendi; 3. voluntatem ponitendi. Incertitudo temporis, incertitudo gratiae, et incertitudo voluntatis, sunt tria motiva, quæ peccatores a non differenda in futurum poenitentia, averttere debent.

## I PARS:

*Poenitentiam in futurum differe non debet peccator;  
quia incertum est, an sit habiturus tempus.*

Praeclare dixit moralis Philosophus, Deum hujus vitæ tempus nobis dedisse *ad depositum non ad censem*. Hæc est differentia inter pecuniam quea datur ad censem, et eam quea datur ad depositum, quod eo ipso quo quis alteri pecuniam dedit *ad censem*, ille cui ad censem data est, illius ita sit dominus, ut si eam ludis, comessationibus, cupediis, impudicitiis, et alius quibusvis usibus, etiam illicitis, impendat, nullam injuriam faciat ei a quo data est, modo ei annum redditum, quem pollicitus est, fideliter solvat. Cum quis alteri pecuniam dedit *ad depositum*, depositarius, seu ille cui ad depositum data est, nullum jus, nullumque in hanc pecuniam dominum acquirit; nec eam quomodo cumque suis usibus insunero potest sine licentia depositoris, qui solus hujus pecuniae est dominus; qui eam ad suos usus quomodo cumque voluerit, convertere, eamque, quando sibi placuerit, e manibus depositarii retrahere et revocare potest. Tempus autem hujus vitæ non nobis datum

est *ad censem*, quia illius non sumus domini, nec de eo ad arbitrium nostrum disponere possumus: sed a Deo datum nobis est *ad depositum*, quia Deus semper ejus est dominus: ac proinde tempus vite nostræ, quod nobis dedit, abbreviare, prorogare, vel retrahere potest, quando voluerit. Attamen proh dolor! peccatores innumeri, quasi vere temporis vita sua sint domini, de eo ad arbitrium statuere præsumunt. Pœnitentiam, inquiunt, nunc suscipere mei non est animi: nolo nunc superflua pauperibus erogare, vitis renuntiare, et bonis operibus incumbere non possum: jam ebrietati metas ponere, luxurie terminos statuere, aliena propriis dominis reddere, et salubri sclerorum omnium detestatione, necon humili confessione animam expiare: haec omnia tunc agam, cum temporaneis negotiis finem fecero, cum ab urgente et prædominante intus passione liber evaserò, cum subortam item composuero, aut saltum cum insennero: quando *ad senectam venero, tunc ad poenitentia medicamentum configiam* (S. Caesar. ho. 20). O miser, adverte vite tua tempus tibi datum esse *ad depositum, non ad censem*. Perpende, quod non tu temporis sis dominus, sed Deus, qui vitam tuam usque ad senectutem forte non protrahet; qui te forte mori sinet, antequam temporalibus finem ponas negotiis: et qui forsitan hac nocte, aut etiam intra aliquas horas, animam tuam repetet. Ne igitur poenitentiam in futurum differas, cum incertum sit, an Deus, qui temporis est dominus tibi futurum tempus datus sit. Vide quid acciderit diviti illi, qui de tempore futuro statuebat. Hic cum non haberet, quo uberes, quibus affluebat, fructus congregaret, horrea majora facere meditabatur, bona multa in eis colligere cogitabat, et deinde ad plurimos annos jucunde quiescere, bibere et epulari volebat: haec illo cogitante, ecce dixit ei Deus, ipsum hac nocte moriturum, ac vita depositum redditurum: *stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te* (Luc. 12, 20). O terriblem Dei vocem! o subitanæm divitias hujus mortem! hic diu vivore credebat, et Deus eum hac ipsa nocte moriturum annuntiavit: *Qui ampliationem horreorum, et longe securitatis spatia cogitavit, in ipsa nocte moritur* (S. Caesar. ho. 16). Ecce quid evenire

soleat peccatoribus his, qui in futurum penitentiam differunt: et divitiis et deliciis multis frui volunt, antequam salutis penitentiae operibus se accingant: penitentiam sectari recogitant, verum postquam diu in peccatis perseveraverint: penitentiam agere meditantur, at in tempore futuro. Cum autem minus cogitant, depositum suum Deus postulat; Deus vitam, quam iis in depositum dederat, subito auferit: et sepe nocte ipsa moriuntur, qua penitentiam in futuro faciendam sibi proponunt: *stulte, hac nocte animam tuam repetunt.* Cave ergo peccator, ne penitentiam differas in tempus futurum, cuius Deus est dominus, et quod a tibi daturus sit, dubium et incertum est. Peccatores multos reperiere est, qui in manibus suis claves vitae et mortis habere imaginantur: vita sue tempus disponunt, quasi illius essent domini, et distributores a Deo constituti. Hi tempus, quo in hoc mundo se victuors arbitrantur, in varias classes, et atates diversas distribuant. Tantum temporis, inquiunt, huic negotio impendam; tantum isti, et tantum illi: hoc agam in juventute, hoc in aetate florente, hoc in proiecta; ac tandem, his et his peractis, totum me penitentiae operibus dabo, meque totum Deo consecrabo. Hi sane similes iis sacerdotibus, quibus exprobabat Juditha, quod vita sue tempora ad libitum distributorent, ac tempus misericordi Deo prescriberent: *posuistis vos tempus miserationis Domini, et in arbitrium vestrum diem constituitis ei.* O quam stulti, qui sic statuunt de futuro, cuius non sunt domini! *Quam stultum est ceterum disponere!* ne crastino quidem dominarum (Seneca). Quam stulti, qui ita vita sue tempus distribuant, ut penitentiam ultimum dent locum; et qui tempore futuro penitentiam se acturos, ac Dei misericordiam impretratores presumunt. O frater, ne ita stultus sis, ut penitentiam differas in futurum, quia forte hac nocte morieris: *stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te.* Ne ita despicias: quia temporis futuri non es dominus, et an illud sis habiturus, incertum est. Qui penitentiam in futurum dimittunt, tamquam certum supponunt, se nondum morituros, Deumque iis vitam prorogaturum ad hoc usque tempus, in quo se penitentiam acturos proponunt. Non *nunc*, inquiunt, sed *tunc*

penitentiam agam: *tunc*, cum tale beneficium obtinuero: *tunc* cum ad talē dignitatem condescendero: *tunc* cum filius meus matrimonio inierit: *tunc* cum Jubileus aliquis, vel Paschalia festa venerint: *tunc* me totum ad Deum convertam, ac penitentiam salutarem generose suscipiam. Deus penitentiam *nunc* esse faciendam ait: *ecce nunc tempus acceptabile*; et ipsi eam facere statuunt, non *nunc*, sed *tunc*; ac tamquam certum supponunt, Deum hoc illis daturum penitendi tempus in quo se penitentiam acturos decreverunt; quasi Deus promiserit, se vitam illorum producturum ad hoc usque tempus: *Expectas, et de misericordia Dei polliceris, quasi ille qui tibi per pœnitentiam promisit salutem, promiserit tibi et longam vitam* (Aug. ser. 47 de verbis Dom.). Deus quidem peccatoribus pollicitus est, quod quacumque hora ad ipsum debite convertentur, veniam eis et indulgentiam concederet: non tamen promisit, se eis tempus vite prorogaturum usque ad Paschalia festa, ad proximum usque Jubileum, imo nec ad diem crastinum: *Deus conversioni tuae indulgentiam promisit; sed dilationi tuae diem crastinum non promisit* (August. in Ps. 144). Quare cum Deus, qui omnium temporum dominus est, non pollicitus sit, se iis tempus futurum ad penitentiam agendum daturum, maxime incertum est, an hoc tempus sint habituri: et ideo penitentiam in hoc tempus differre non debent. O adolescens, si numerum annorum tuorum tibi Deus revelasset; si dixisset tibi: tot annis vives, nec morieris, quin prius penitentiam egeris, penitentiam in futurum differendi aliqua tibi forte esse posset ratio; cum autem Deus nec crastinum diem promiserit, cur eam differs in tempus futurum, quoniam sis habiturus incertum est? Tantum abest, ut peccatoribus promiserit Deus, se iis daturum tempus futurum ad agendum penitentiam; quin contra iis in futuro omnia incerta esse denuntiat: ac omnino esse incertum, quot annis, et quanto tempore in hoc mundo sint victuri: *numerus annorum incertus est* (Job. 15, 20). Imo Deus asserit, se ad eos venturum veluti furem, ut ab iis vitam auferat, qua hora non putaverint: *veniam ad te tamquam fur* (Apoc. 3, 5). O quam multi sunt, ad quos Deus

venit tamquam ur! quam multos subitanæ morte ex hoc mundo sustulit! quam multos, qui diu se victuros arbitrabantur, tam repentina morte rapuit, ut nec minimum iis penitentiam tempus dederit: *quam multi se credebat longa tempore victuros, et ita illos mors repentina subtraxit, ut nec ad illam possint momentaneam penitentiam perventre!* (Cæsar. ho. 13). Cur ergo penitentiam in futurum differs? nonne times te morte subitanæ moriturum? penitentiam intra sex menses, vel intra unum annum te facturum statuis; et forte intra tres menses, intra unum diem, ac forte uno in momento subitanæ morte corripieris: ergo stultus es, si penitentiam differas in tempus futurum, quod non a te, sed a Deo pendet, et quod an Deus tibi daturus sit, ignoras.

Peccatores, suadente satana, intra se dicere solent: nondum vita mee finis instat: mei diu vixerunt parentes, diu similiter vivam et ego: non mirum, quod hic et ille in ætate florente mortui sint; hi etenim Veneri et Bacco serviebant; ego autem neutri indulgeo. Diuturnam mihi pollicentur vitam firma corporis constitutio qua polleo, ordinata virtus ratio quam religiose servo, et temperatus aër quem spiro; divina gratias ago Numini, quod bene dormiam, melius comedam, nilque mæse noceat valetudini: ad centum annos mea forte non prorogabitur vita; me tamen diu vieturum omnia promittunt. O qualia impiorum somnia, qui mortem suam semper prospiciunt! qualisunque enim constitutionis sint, et quamcumque virtus rationem teneant, nil de futuro sibi polliceri possunt; nec certo scire valent, an vel ad unum diem vita sit eis proroganda. Non illorum, sed Dei solius est nosse, quanto tempore sint victuri: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* (Act. 1, 7). Dic, queso, tu qui tanta valetudine pollere, ac te diu vieturum arbitraris, es ne certus, lethiferum in jecore tuo, in pulmone, vel in intestinis uclus non latere? Nostin, tu non brevi apoplexia suffocandum? quis certum te fecit, quod intra breve tempus pestilenti febre, vel gravi alia infirmitate correptus, non morieris? haec omnia incerta sunt et dubia. Forte cito, et qua hora non putabis, ca-

dente e tecto latere obrueris, ense transfodieris, glande e sclopeto missa occideris, vel alio quodam insperato casu vitam finies; qua igitur fronte tibi ad mores corrigidos senectam promittis, cum nullatenus de crastino certus sis? Sine speciali Dei revelatione scire nequis, an uno vel pluribus annis, uno vel pluribus mensibus, imo nec an usque in crastinum sis victurus, cur ergo penitentiam, sine qua salvari non potes, in provectionem atatem differs, ad quam utrum sis per venturus ignoras? Certe penitentia non est in futurum differenda, quia incertum est, an tunc sis habiturus tempus penitendi, ac etiam quia incertum est, an tunc sis habiturus gratiam penitendi.

## II PARS.

*Penitentiam in futurum differre non debet peccator quia incertum est, an tunc sit habiturus gratiam penitendi.*

Nullus peccator ita excecatus et induratus, qui Dei gratia adiutus converti non possit, et salvari. Divino hoc auxilio fretus Saul, potuit ex blasphemio et acerrimo Christi inimico in insignem ejus Apostolum, et celeberrimum totius orbis Doctorem converti: potuit Matthæus ex publicano et teloneario discipulus Christi fieri: potuit Augustinus, prius infensissimus Ecclesiae hostis et Manichæus, in mirabilem Ecclesiae Doctorem, et defensorem mutari: potuit Magdalena, omni peccatorum generi addicta, in sanctissimam feminam, et portentosum penitentiae exemplar transformari: possent et omnes peccatores justificari et salvari, quia omnia, que ad salutem necessaria sunt, facere possumus cum Dei gratia: *omnia possum in eo qui me confortat* (Philipp. 4, 1). Sicut autem omnis peccator, Dei gratia adiutus, penitentiam agere, et ad Deum converti valet, ita nullus peccator sine Dei gratia penitere, veniam obtainere, et justificari potest; ut enim ait D. Augustinus, nisi Deus dederit, quis aget penitentiam? Et ut in Concilio

Tridentino definitum est, sine Dei gratia nullus penitire potest, sicut oportet. *Si quis dixerit, sine proveniente Spiritu Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Omnibus autem, quantumvis magnis peccatoribus, gratiam dat Deus, at non omni tempore; eam dat singulis, sed non semper; nullus est peccator, quantumlibet Deo infensus, cui Deus aliquam gratiam non impertiat, ut illum ad penitendum excitet et moveat; hanc autem gratiam eis dat, quando vult: *Spiritus ubi vult spirat, inquit S. Joannes;* et ut exponit Hugo Cardinalis, *ubi vult spirat, et quando vult.* Quare valde dubium est, an eam sit datus peccatoribus, qui illam sepe respuerunt, et qui penitentiam in futurum dimiserunt. Praesumunt hi, Deum iis prævenientem et excitantem hanc gratiam daturum, cum insenuerint, cum negotiis suis finem fecerint, eo precise tempore, quo se penitentiam facturos statuerint, et cum eis placuerit; at falluntur graviter, quia Deus forte dabit, forte non dabit; et valde incertum est, an eam illis datus sit. Gratia enim est donum, quod ex mera Dei liberalitate pendet, et quod nullo modo dare tenetur peccatoribus his, qui penitentiam in futurum distulerunt. Imo gratia hac penitus indigni sunt hujusmodi peccatores, quibus propterea quam maxime timendum, ne hanc ipsis deneget. In secundo Libro Regum legimus, inter Abner et Joba grave prælium per integrum diem exarsisse. Cum autem sub vesperam advertisset Abner exercitum suum debilitari, exclamavit ad Jobam, et ait: Num usque ad internecionem tuus muero desaviet; usquequo non dicis populo, ut omittas persecui fratres suos? Nonne jam tempus inducias paciscendi? alias, queso, da inducias. Cui Joba: *Vicit Dominus; si locutus fuisses mane, recessisset populus persecens* (2. Reg. 2), nec quidquam tibi clavis intulisset. Peccatores similiter tota die, et quamdiu perfecta fruuntur valetudine, cum Deo constituant prælia, statuantque, se tunc Dei clementiam imploraturos, ac penitendi gratiam petituros, cum insenuerint, vel cum ad mortem ægrotaverint: tunc valde timendum ne respondeat Deus, quod si locuti fuissent mane, et

dum bene se habebant gratiam iis concessisset: plurimum metuendum, ne in poenam negligenter illorum, tunc eis denegetur gratia, quam antea facile obtinere potuissent. Ut enim ait Sanctus Augustinus, *illa est poena peccati justissima, ut amittat unusquisque illud quo bene uti noluit, cum sine difficultate potuisset, si voluisset.*

Audite quid loquatur Dominus Deus: *Vocavi, inquit, et renuisti; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Despezaisti omne consilium meum, et increpationes meas neglexistiis.* Ego quoque interitu vestro ridebo, et subsanabo (Prov. 1, 24-26). O frater, pluries te Deus vocavit, et quotidie vocat ministerio concionatorum, qui te docent, parentum, qui te amice monent; et inspirationum internarum, que te ad penitentiam excitant. Heu! quoties in corde tuo locutus est Deus, ut ad bene vivendum te alliceret? nonne pluries audisti nescio quam vocem interius dicentem tibi: o miser et stulte peccator, in statu mortalis peccati et imminentis damnationis versaris; discede a pessimo hoc statu: convertere ad Dominum Deum tuum: salva animam tuam, qua pretioso Christi sanguine redempta est? interna haec vox, quam sic loquentem audis, est ipse Deus, qui per gratiam suam vocat te; et tanta tua est pervicacia, ut ei resistas: vocat ille, et tu ad eum ire rennis: *vocavi et renuisti.* Cum autem vidit Deus, te pluries vocationi sue restituisse, manum suam ad te adhuc extendit, ut maiorem tibi gratiarum copiam largiretur; et tu eas neglexistiis, nec ad eum oculos convertere dignatus es, ut illi benediceres: *extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret.* Internis hisce inspirationibus superaddidit Deus consilia, increpationes, neconon forte flagella multa, et tu haec omnia contempsti: *despezaisti omne consilium meum, et increpationes meas neglexistiis.* Fecit tandem Deus quidquid juxta rectas infinitas sapientiae sua regulas debuit, ut to ad penitentiam aduceret. *Quid est quod debui ultra facere vinea mea, et non feci?* (Isa. 5, 4). His autem omnibus ex parte Dei tam studiose peractis, credis, o christiane, quod cum insenueris, vel cum lethali morbo infirmaberis, efficaces tibi ipse largietur

gratias, quarum ministerio poenitentiam ages, et salvaberis? hoc quidem fieri posset; verendum tamen, ne tunc tibi sit infensus, ac sicuti comminatus est, te irrideat: *ego quoque in interitu vestro ridebo*. Illis in angustia tibi aliquas haud dubie dabit gratias, cum quibus poenitentiam agere posses; maioresne vero atque efficaciores tibi tribuet, quibus omnino indigebis ad detestanda tot scelera, pravorumque habituum multiplicia vincula dissolvenda? nunc tibi offeret eas gratias, quas toties repulisti, quibus propterea tantopere te indignum reddidisti? Heu nimium sera poenitentia! heu nimium spreta divina patientia! Jam in haec horrenda verba erumpit: *ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo*. Hoc preclare demonstrat S. Cæsarius egregia similitudine unius hominis, qui non in florente, sed in decrepita colummodo astate domino suo servire vellet. *Nunquid, ait Arelatensis Antistes, hoc tibi vis fieri a servo tuo, ut quamdiu fortis, ac juvenis fuerit, inimicis tuis serviat; et cum ad senectam venerit, tunc ad tuum servitium redire velit? quod ergo non vis pati a servo tuo, non est justum ut facias Domino tuo.* O pulchram similitudinem! quam ut serio ponderemus, dicite, queso: si quis ex regno Gallico oriundus, sua regi obsequia offerret, dicens: Domine mi rex, toto juvenatis et florantis aetatis meae tempore inimicis tuis fideliter obsequi intendo, ab eorum partibus constanter stabo; pro his, si opus fuerit, adversum te fortiter pugnabo; cum autem insenuero, et cum deficient viros, me totum tuis obsequiis mancipabo. Quid huic homini putatis dicturum regem? grata ne ei esset serotina hujus famuli oblatio? velletne reliquias labentis vita accipere? haud dubium quod de hujus stolidi famulatu parum curaret. Imo ipsi exprobareret tantam insipientiam seu impudentiam; nullomodo certe illi gratiam conferret, ac potius irrideret. Et tu, o stulte peccator, peccatis et satanae inservire cupis quamdiu vires suppetunt; cum autem infirmaberis, vel insenueris, putas obsequia tua grata fore Deo? credis, quod te tunc gratias multis cumulabit? arbitraris, quod tunc tibi toto corde poenitendi gratiam praebebit? forte dabit, forte negabit: ac probabilius

hanc tibi gratiam denegando tibi illudet: *ego quoque in interitu vestro ridebo*. Ex his qui poenitentiam in futurum differunt, multi repentina rapiuntur morte, ita ut nullum poenitendi tempus habeant. Ex his autem qui subitanea morte non præcipiuntur, aliquos reperire cst, qui dum infirmantur, clamant ad Dominum, et quo gravior infirmitas, eo studiosius eum invocant: an bene, vel male, nescio; an ex timore servili, vel ex amore, nescio; an utiliter, vel inutiliter, nescio; an a Deo sint, vel non sint audiendi, nescio. Valde formidandum ne obduratos in malo peccatores Deus in novissimo die non exaudiat, et gratiam, quam postulant, non eis concedat: *tunc invocabunt me, et non exaudiam* (Prov. 1, 28). Timendum, ne Deus pretiosas gratiae sue margaritas non projiciat ante illos porcos, qui eas toties contempserunt: timendum, ne gratiarum suarum thesauros in favorem ingratorum hujusmodi hominum non appetiat: timendum, ne coelestia illa dona carnalibus hisce viris denegent. Tunc ipsi peccatores pavore concutientur et Deus irridet eos; clamabunt nec illos exaudiat: *tunc invocabunt me, et non exaudiam*. Nemo itaque presumat in futurum poenitentiam differre cum incertum sit, an peccator sit tunc habiturus gratiam; ac etiam quia incertum est, an sit tunc habiturus voluntatem poenitendi.

## III PARS.

*Poenitentiam in futurum differre non debet peccator, quia incertum est, an tunc sit habiturus voluntatem poenitendi.*

Qui poenitentiam in futurum differunt, tamquam certum supponunt, eo præcise tempore quod sibi præfigunt, se vere voluntatem habituosi abrenuntiandi peccatis, ea confitendi, atque ea omnia, que veri poenitentis sunt, perfecte adimplendi: *tunc*, inquit peccator, omnia injuste detenta restituam, aut saltem restituendi onus haeredibus imponam: *tunc pauperibus et Ec-*

clesiis bona multa distribuam: *tunc* quidquid in corde latet, prudenti Confessario aperiam; *tunc* firmo non amplius peccandi proposito omnia inveterata scelera a me procul pellam: *tunc* Deum offensum, et adversum me iratum, fusis amaris lacrymis placabo, enique ad mihi indulgendum alliciam. O qualem hujusmodi hominum stultitiam, qui tamquam certum supponunt, se habituros non solum tempus et gratiam, sed etiam voluntatem veram, sinceram et efficacem ea omnia perficiendi quas ad perfectam penitentiam requirunt! quo tamen nihil incertus: quia quo diutius in peccatis perseverant, eo magis eorum obscuratur intellectus, debilitatur liberum arbitrium, et voluntas pervertitur. Unde qui jam penitentem nolunt, *tunc* minus penitentem volent; ac haud dubie *tunc* penitentiam, et alia salutis remedia contemnent. *Impius*, inquit Sapiens, *cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* (Prov. 18). Quid contemnit *impius* ille homo, qui penitentiam in futurum differens, in profundum peccatorum venit? hic consilia, jura, et omnia contemnit, que illum a malo retrahere, et ad penitentiam adducere possent: *contemnit jura et homines*, ait Jansenius Gandavensis, *ita ut ullo vel timore, vel pudore a malo retrahatur, nullisque bene consulentum rationibus moveatur*. Postquam hujusmodi peccatores suam diu distulerint conversionem, ita Deo permittente, sepe saepius obsecrantur et firmantur in malo ut omnia consilia respuant, nec quidem de conversione cogitare velint: *tunc* sepe de salute sua desperantes, quo se vertant nesciunt, nec tamen penitentiam agere volunt, quia salvari non posse credunt: *tunc* intra se dicere soliti sunt, sicut infidelis ille villicus: *quid faciam?* seu, quomodo nunc recognitabo, et rationem inibz eorum omnium que a pueritia peregi? Tunc dicunt: *quid faciam*, et quomodo longam omnium, quæ toto vita meæ tempore compisi, scelerum seriem simul cum circumstantiis clare et distincte Confessario per multis horas enarrare potero? *quid faciam?* et quomodo bona injuste acquisita jam restituere, enique suum reddere, ac injuriam proximo illatam resarcire valebo? *quid faciam?* et quomodo inveterata odia, spiritum superbiae et avaritiae, neconon omnem amorem carnalem e corde

nunc evellere potero? *quid faciam?* et quomodo nunc invocare non erubescam Coelum opem, quos numquam colui? ac quomodo impetrare potero Christi gratiam, quam toties contempsi? hisce cogitationibus ita conturbari solent qui de die in diem suam conversionem distulerint, ut in obdurationem et desperationem sepe cadant, nec amplius de penitentia agenda cogitant. Vellent quidem *tunc* penitentiam agere; verum voluntate languida, infirma et inefficaci, ad salutem non sufficiens: hoc non volunt efficaciter, quia de salute desperant. O sanguineis lacrymis deplorandus status hujusmodi hominum qui penitente volunt et nolunt: vellent quidem aliquo modo penitentiam agere; cum autem se a morte vallari vident, atque innumerablem peccata sua inspicunt, animo cadunt, de salute diffidunt, opus conversionis veluti impossible dimittunt; imo ut ait Ensebius Emissenus, nec volunt, nec possunt: *ita evenit, ut qui primo tempore emendari noluerit, incipiat in sequenti nec velle, nec posse*.

Qui penitentiam in futurum differunt, tune communiter eam agere decernunt, cum insenserint, vel cum gravi quadam infirmitate laborabunt: tune statuant se penitentiam acturos, et bene vivere incipientes, cum in hoc mundo vivere desinent. O magnam stultitiam! et ut ait Seneca, *quam serum est vivere incipere, cum desinendum est!* que tam stulta mortalitatis oblivio in quinquagesimum, et sexagesimum annum differre sana consilia, et inde velle vitam inchoare, quo pauci perseverunt (*De brev. vita*, 4). Advertant stulti hujusmodi homines, quod cum periculose agrotabant, tot circumdabuntur animæ sua hostibus, ut via quidem fieri possit ut serio peniteant, et penitendi voluntatem habeant: *tunc*, inquit Jesus Christus, *circundabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te: et coangustabunt te undique* (Luc. 19, 43). Tune, o peccator, tamquam fortissimi hostes, circumdabunt te dolores acutissimi, quibus obrueris; tune menti tuae se offeret legio enormium criminum, quæ toto vita tua tempore perpetrasti: tune circa te volventur propinquí gementes, clamantes, bona tua habere cupientes, et de animæ tuae salute parum curantes; tune ade-

runt tartarei spiritus, animum tuum exæcantes, voluntatem indurantes, et quantum poterunt, a penitentia te avertentes. Ecce inimicos, qui circumdabunt te; credisse, quod his impenitus hostibus, voluntatem tunc sis habiturus efficacem, quæ ad facienda omnia quæ veri penitentis sunt, inducat? hoc valde dubium est; imo quasi certum videtur, quod penitentiam tunc agere nec voles, nec poteris. Jam eam facere non vis, cum eam facere tibi facillimum esset; et veniet profecto tempus cum, Dei sapientia sic ordinante, eam facere noles, nec forte poteris; *ita evenit ut qui primo tempore emendare noluerit, incipiat in sequenti nec velle, nec posse.* Peccator penitentiam in futuro faciendam, tamquam quid facillimum sibi proponit: nec sibi snadere potest, se tunc penitendi voluntatem non habiturum. Tunc, inquit, me totum ad Deum convertam, et unico *peccati* omnia sceleris mea dissolvam. O frater, habebisne tunc tempus dicendi illud *peccavi?* hoc incertum est, quia forte repentina morte rapieris. Dabitur tibi tunc gratia, sine qua efficaciter dici nequit illud *peccavi?* illud etiam incertum est, quia omni gratia indignus es, et valde dubium an eam Deus datus sit. Incertum adhuc, an sis habiturus voluntatem dicendi illud *peccavi*, sicut oportet. Antiochus dixit, *peccavi;* Pharao dixit, *peccavi;* Judas dixit, *peccavi;* quia vero hi omnes non dixerunt, *peccavi*, sicut oportet; ideo damnati sunt. Eos forte imitaberis: et cum parochus, confessarius, vel alii lecto tuo incumbentes, ad penitentiam te excitabant, externa aliqua penitentia signa dabis, extremis forte labiis prouinciabis, *peccavi*, ac veniam a Deo postulabis; attamen cum hoc *peccavi*, ad tenebras sempternas, ad ergastulum flammarum, et ad locum tormentorum æternorum detruderis. Ad peccati remissionem, et ad salutem non sufficit, ut quis dicat, *peccavi;* bene et pie dicere debet illud *peccavi.* Ut autem bene dicatur *peccavi*, seu ut dicatur bonum *peccavi*, quod vim habeat delendi peccata, non solum requiritur Dei gratia, sine qua deleri nequeunt: requiritur insuper ex parte illius qui profert illud *peccavi*, ut omnia ex corde detestetur scleras, et ut veram ac sinceram habeat voluntatem ea con-

fitendi, et non amplius peccandi. Dic nunc, peccator, esne certus, te in future habiturum Dei gratiam? quis te certiorem facit, te habiturum hanc voluntatem, quæ ad bene dicendum illud *peccavi* necessaria est? hec maxime incerta sunt. Imo quasi certum est, quod eam tunc voluntatem non habebis, quodque tunc eandem tenebis viam, quam toto vita tempore tenuisti: *adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (Prov. 12). Toto vita tempore in via perditionis ambulasti: tunc eadem incedes via; et si actu tunc peccare non possis, saltem affectum ad peccatum habebis. Toto vita tempore a penitentia et salutis via declinasti; morti proximus nec de penitentia, nec de salute curabis. Innumera ab authoribus adducuntur exempla hujusmodi hominum, qui cum plures statuissent in futuro penitentiam agere, nec de penitentia loquentes audire voluerunt. Cuidam ex hujus farinae viris, inquit S. Petrus Damianus, promiserat dæmon, se mortem ei pœnitiaturum triduo antequam ex hoc mundo esset extirsus. Quo promisso securus, vitam variis in flagitiis traduxit: tandem, multis perpetratis sceleribus, in periculoso lapsu est morbum; tunique monuit illum iniquus fidejussor, et instantem post tres dies mortem praeditum. Tristem hunc nuntium astantibus illico exposuit infelix ille infirmus: quo auditio, omnes quidem attoniti, omnesque tunc eum ad penitentiam prompte faciendam hortantur. Ipse vero, cum de penitentia sermo habebatur, mox dormiebat, nec expurgisci poterat: cum nullus de penitentia loquebatur, vel cum verba vana, jocosa, aut ridicula proferebantur, tunc aures arrigebat infirmus, et confabulatur: rursus auditio nomine penitentia, altum obdormisebat, donec horrendæ morti traditus, ad tartara devolutus est. Quid simile referit Lucas Pinelli de alio, qui cum summo studio divitias multas congregasset, lethali tandem morbo correptus, de divitiis solummodo erat sollicitus. Millies forte statuerat, se in futuro penitentiam acturum; et tandem, cum infirmatur, nec de penitentia loquentes audire vult: de divitiis tunc tantum cogitat; huc, illucque in lecto volvitur, et quasi leo rugiens, clamat: o divitiae mee, quid de vobis fieri quæ

tanto labore comparavi, cajus erunt? adstat prudens confessarius, qui eum de morte imminente, et de poenitentia mox agenda monet; ipse vero, quasi monitorem non audiat, clamat adhuc: o divitiae meæ, et quis vos possidebit? [Instat confessarius, non jam de terrenis, sed de celestibus cogitandum opibus; at eandem cantilenam semper cantat infirmus; et haec verba proferens: o divitiae meæ, quibus vos relinquam? non confessus, nec minimum poenitentiae signum edens misere expiravit. Ecce quid accidere soleat his, qui poenitentiam in futurum differunt. Credunt hi, se veram poenitentiam voluntatem habituosis; jamvero cum suis agrotantibus quis de poenitentia loquitur, vel obdormiscunt, vel da his solum cogitant, que in vita dilexerunt. Tunc avarus de divitiis cogitat, quas mox magno cum dolore relicturus est: tunc impudicus mente revolvit infamem lupam, cui diu assueverat; tunc iracundus vi pernum odium, quod tamdiu fovit, in animo fixum servat; de poenitentia autem serio suscipienda hi omnes non curant, ejus non recordantur; aut si meminerint, poenitendi voluntatem non habent.

O peccator, recogita nunc serio ea omnia quæ diximus; in memoria revoca ea, quæ in tota hoc concione agitavimus; ac tamquam certissimum habeas, quod si poenitentiam in futurum differas, dubium et incertum est, an tunc sis habiturus penitenti tempus, penitendi gratiam, penitendi voluntatem. Habebisne tunc poenitendi tempus? forsan habebis, forsan non habebis: dabiturne tunc tibi poenitendi gratia? forte dabitur, forte non dabitur: eritne tunc tibi poenitendi voluntas? fortassis erit, fortassis non erit. Haec omnia dubia, haec omnia incerta: igitur, si sapias, poenitentiam, quæ tibi ad salutem absolute necessaria est, ne supra tria haec *fortassis* stabilias: *cum de anima, vitaque eternitate consilium inis, ne imbecilliori hoc innitaris fundamento; fortassis* (Chrys. hom. 23 in 2. Cor.). Stultus censemur qui preclarum domum supra arenam mobilem, vel supra terram sine fundamento ædificat. O frater, quod preclarus, quodve magis tibi necessarium ædificium, quam spirituale, quam salus animæ tuæ? certe nullum:

ergo stultus censeberis, si hoc ædificium supra arenam mobilem, supra unum, vel tria *fortasse* stabilias. Fortasse habeo penitendi tempus, fortasse dabitur mihi penitendi gratia, fortasse erit mihi poenitendi voluntas. O quam mobilia, quam ruinosa haec salutis tuae fundamenta! quare solidius et firmius quære fundamentum; consilium sequere D. Ambrosii, dicentes: *tene certum, dimite incertum*. Poenitentia, quam in futuro faciendam proponis, incerta est, *dimite hoc incertum*. Te nunc poenitentiam agere posse certum est, *tene hoc certum*. Jam jam peccata tua detestare, jam aliena restituere, jam omnia sedulo confitere sceleris, jam cunctis veri penitentis operibus agendis te accinge; dabique Deus tibi gratiam, qua mediante, poenitentiae tuae fructus in Cœlo aliquando percipies. *Amen.*

## FERIA V POST DOMINICAM PRIMAM.

## DE FILIORUM EDUCATIONE.

*Miserere mei Domine fili David; filia mea male a demonio vexatur* (Matth. 15, 22).

Non satis est, parentes filii dedisse quod sint, si, quantum faserit, non eis dent ut bene sint, seu ut recte et honeste juxta divinarum legum præscripta vivant: non satis est, quod eos procreaverint, si bona eorum institutioni non invigilent: non satis est, quod eos homines fecerint, si eos per bone educationis præcepta ad christiane et perfecte vivendum non allicant. Fatiendum quidem quod esse, quod a parentibus filii percepissent, sit omnium bonorum primum et maximum, eo quod aliorum omnium bonorum sit radix et fundamentum: qui enim non habet esse, nil aliud recipere et habere potest; melius tamen esset